XXII.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

De

EXCEPTIONIBUS,

Quam

Divinâ assistente Clementiâ,

Ex Consensu & Autoritate


Magnifici, Nobilissimi, atque Amplissimi JCtorum in Illustri Salana Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo,

DN. ERNESTO FRIDERICO SCHRÖTERO, J. U. D. Consiliario Saxon. Prof. Publ. celeberrimo, Curiæ Provincial. Saxon. Facult. Jurid. & Scabinat. Assessore gravissimo, Decano h. t. spectabili, Patrono, Præceptore ac Hospite suo devenerando,



PRO LICENTIA

Summum in utroque JURE DOCTORIS gradum consequendi,

Publico examini subjicit

JOHANNES ADAMUS Drechsel.


In Auditorio Juridico

Ad d. Februarii horis ante- & pomeridianis.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISII, Anno cIↃ IↃ c LXI.

17



SERENISSIMIS AC CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS ET DOMINIS:
DOMINO
GEORGIO ALBERTO
&
DOMINO
CHRISTIANO ERNESTO,
MARCHIONIBUS BRANDENBURGENSIBUS, MAGDEBURGI, BORUSSIÆ, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM ET VANDALORUM, IN SILESIA, CROSNÆ ET CARNOVIÆ. &c. DUCIBUS, BURGGRABIIS NORIBERGENSIBUS, PRINCIPIBUS HALBERSTADII ET MINDÆ, &c.

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS

Exercitium hoc

humillimè offert

Joh. Adam Drechsel.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI!

QUod ea, quæ in communis vitæ necessitatem assumuntur, & quæ utilitatem afferunt, magnifacere & curare debeamus, graviter admonet Imperator Leo in *Novella 46.* Paulus in *l. 25. ff. de libert. leg.* Ulpianus in *l. 1. ff. de susp. tut.* Quo respiciens Zasius in *l. 3. ff. de LL.* scitè ac eleganter ait: Juris studiosos eas juris partes vel maxumè excolere oportet, quarum cognitio ad usum forensem spectat, quæque ἐπὶ τὸ πλεῖστον i. e. ut plurimùm, non παρὰ λόγου ex opinato utiles esse queant, referente Lindemanno *in proœmio tr. de Mutuo.* Materiam autem Exceptionum esse maxumè necessariam & utilissimam non solùm docet Imperator in §. 16. *Instit. de Except.* sed etiam tribunalia omniaque judicia abundè testatum faciunt; Vix enim major atque frequentior in eis peragitur quæstio, quàm ubi de Reorum exceptionibus, quibus tanquam clypeis suis Actorum tela excipiunt atque propulsant, tractatio instituitur. Quapropter eam præ aliis eligere,

de illa positiones quasdam conscribere, easque in inaugurali hoc actu defendendas suscipere volui, ex materiæ difficultate, si non satis apta atque accurata sint omnia, facilè veniam meriturus.

THESIS I.

VErbum excipere, à quo exceptio, apud Ciceronem & classicos autores varias ac diversas habet significationes, quas recenset Schneidevv. *ad Inst. n. 2. h. t.* qui potest videri.

Th. II.

Vocabulum verò Exceptionis in Jure defensionem notat, quâ adversarius in judicio contra adversarii sui intentionem sese munit atque tuetur, exemplo gladiatorum, qui ictus invicem excipere & avertere solent *l. 9. l. 11. C. de Except. l. 1. C. de jur. & fact. ignor. l. 12. de dol. mal. & met. except.*

Th. III.

Cujus tamen significatio duplex; Generalis vel specialis; Generalis complectitur omnes defensiones, tam Actori, quàm Reo competentes, quæ consistunt in replicatione, duplicatione, triplicatione, quadruplicatione &c. *l. 2. §. 1. 2. & 3. ff. h.* Specialis eas tantùm designat, quibus Reus adversùs Actoris actionem excipit *d. l. 2. in pr.* Et de his in præsentia.

Th. IV.

Difinimus autem Exceptionem, quod sit jus excludendi id, quod in intentionem h. e. petitionem efficacem atque justam *arg. pr. & §. 1. & §. 14. de Actionibus.* condemnationemve deductũ est. Ulpianus eam definit

exclu-

exclusionem actionis *d.l.1.* sed hæc verba respiciunt potius effectum, ut rectè notat Zanger. *in tr. de Except. cap.3. part.1 n.6.* Diximus Jus, cum Ummio *in disp. ad process.* i.e. remedium juris; & quidem juris Civilis. Magnif. Dominus Ludvv. *Præceptor meus devenerandus in procem. Inst. de Except. n.3.* Paulus in *l.22. ff. h.t.* describit eam per conditionem. Verùm eo ipso veterem exceptionis formulam spectavit, secundùm quam omnis exceptio conditio est, quia conditionaliter per particulas, si, nisi, extra quam si &c. olim enunciabatur *l.2. §.1. l.4. §.8.15.31. & seq. ff. de dol. mal. & met. except.*

Th. V.

Exceptionum divisiones variæ inveniuntur, eæ tamen quæ à causis diversis sunt petitæ celebriores sunt. Prima autem sumitur à causa efficiente, quâ omnes vel Civiles sunt vel Prætoriæ *§.7. Inst. h.t.* Civiles sunt, quæ ex causa civili, putà Lege, SenatusConsulto, aut alia parte juris oriuntur. Cujusmodi sunt Exceptio SCti Macedoniani, Vellejani *tt. ff. & Cod. SCtum Macedon. & Vallej.* & exceptio fori *l.7. in pr. ff. qui satisd. cog. l. ult. C. h.t.* Prætoriæ sunt, quæ ex causa prætoria s. ex ipsius Prætoris jurisdictione substantiam capiunt *d. §.7. h.t.* ut exceptio metus, doli, *l.1. §.1. de dol. mal. & met. except.* pacti conventi *l.7. §.7. de pact.* & similes.

Th. VI.

Secunda divisio traditur à causa finali, quod nempe quædam sint vel reales, vel personales; Illæ dicuntur, quæ rei cohærent, & ad fidejussores atque alios transeunt; ut est exceptio rei judicatæ, metus, doli mali, jurisjurandi &c. *l.7. §.1. ff. h.t.* Hæ verò quæ personæ cohærent, ad alios non transeunt. Exempla vide in *d. l.7. pr.*

Th. VII.

Tertia divisio, & quidem præcipua atque summa, petitur ab effectu; Quando quædam sunt vel dilatoriæ s. temporales, quædam peremptoriæ s. perpetuæ. Ad has duas species exceptionum omnes eas revocare animus est, quæ vel in jure Civili sub expressis titulis tractari meruerunt, vel aliàs à Dd. ob insignem usum enumerari solent. Anamolas itaque non agnoscimus, cùm omnes ad supra dictas pertineant, & commodè referri possint. Omnis enim excipiens vel differt actionem, vel perimit *l.3.ff. h.t.* Arum. *Exercit.19.th.5.* Hilliger. *ad Don. comm.2. lit. A.*

Th. IIX.

Dilatoriæ exceptiones sunt, quæ actionem institutam & persecutionem actoris differunt, ideoque non semper locum habent, sed evitari possunt. *d.l.3. h. t.* Respiciunt autem hæ exceptiones vel judicium, vel litigatores, vel causam ipsam; quæ judicium conceruunt, eæ illud vel in totum tollunt ac prorsus declinant, vel saltem differunt. Exceptiones quæ in totum judicium tollunt, sunt Exceptio Incompetentiæ, Laudationis, Præventionis, & Recusationis judicis suspecti.]

Th. IX.

Exceptio Incompetentiæ datur tripliciter I. Respectu Judicis, ejusque vel Ordinarii, si extra territorum jus dicat, exemplo sint præfectus Urbi *l. fin.3. ff. de off. Præf. Urb.* Proconsul *l.1. & 2. de off. Proconf.* Præses *l.3. de off. Præs.* Vel delegati, quando scilicet ille non demonstrat mandatum *l.1.C.de mand.Princ.* vel mandatum sit revocatum *l.58. de Jud.* & si intra id tempus, quod fuit præstitutum, delegatio non fuerit expedita *c.causis 4.de off. & per.*

&pet. jud. delegat. II. Respectu Rei conventi, cum quo ut efficaciter agi possit, forum ejus Actor sequi debet, *l.2. C. de jurisd. l. fin. C. ubi in rem act.* & si actor contra faciat, Reus habet exceptionem hanc incompetentiæ. Sortitur autem Reus forum quatuor præcipuè causis. Domicilio, Contractu, Delicto, & Re, de quibus agitur in *l.19. §.1. l. fin. de Jud. l.1. ubi de crimine agi op. c. fin. de for. comp. add.* Zangerus *c.1. part.2.* III. Datur exceptio incompetentiæ respectu ipsius causæ, si judex supra jurisdictionem suam judicet, *l. fin. ff. de Jurisd.* e.g. si coram judice Reus excipiat, causam esse feudalem, tunc sanè judex super veritate exceptionis cognoscere poterit, utrum causa sit feudalis, nec ne, & siquidem feudalem esse constiterit, debet se incompetentem pronunciare, causamque ad Dominum Feudi remittere. Innoc. *in c. cæterum de Jud. n.2. in fin.* Panor. *ibid. n.21.* Quæritur autem, si judex prævia cognitione legitimà super jurisdictione sua, & quidem se incompetentem pronunciaverit, an partem victam tutò in expensas condemnare possit? Respondetur quod sic; quia judex quo ad cognoscendum super competentia vel incompetentia habetur competens; sic in accessoriis etiam, quoad condemnationem expensarum atque damnorum, talis habendus est. Bart. in *l.2. n.13. ff. si quis in jus voc. non ierit.* Gail. *lib.1. Obs.34. n.4.* Carptz. *in process. tit.9. Art.2. n.33.*

Th. X.

Exceptio laudationis competit Reo, qui sive reali sive personali actione conventus, auctorem suum laudat, atque petit, ut ei lis denuncietur *l.28. C. de evict.* Hoc modo Reus declinat judicium, quia hoc agit, ut liti eximautr, & alius causam defendat. Debet verò hæc ut cæteræ

teræ exceptiones dilatoriæ, opponi antè litis contestationem *l. fin. C. de Except.* quod tamen verum est, quando fit nominatio ad effectum declinandi judicium; sed si fieret ad eum finem, ut possit reus suis defensionibus uti, tunc ista nominatio etiam post litem contestatam fieri posse Marant. *in spec. part. 6. memb. 6. n. 2.*

Th. XI.

Exceptio præventionis datur Reo, si pluribus in locis ob unam eandemque causam forum sortiatur, & ad unum judicem citatus, postea ad alterum vocetur. Ubi enim judicium est cœptum, ibi & finiri debet *l. 30. C. de jud.* Quod etiam verum est, cùm judices concurrentem habent jurisdictionem Gail. *l. 1. Obs. 39.* Modò legitimè facta sit citatio; nam invalida & illegitima citatio nullum producit effectum, citatum non obligat, nec præventionem inducit *c. gratum 20. de offic. deleg.* quæ autem sit illegitima citatio, tradit Gail. *l. 1. Obs. 48. 49. 50. 51, 52. & 53.*

Th. XII.

Exceptio recusationis judicis locum habet primò, quando judex ex aliqua justa causa redditur suspectus, tunc siquidem oppositâ hac exceptione non potest ad aliquem actum procedere in illa causa, & si procedit, processus est nullus Bart. & Dd. *in l. quia poterat ff. ad SCtum Trebell.* Causas suspicionis 40. refert Marant. *part. 6. tit. de appell. n. 24.* qui potest videri. Secundò quoque locum habet hæc recusatio, si judex juris dicendi functionem suscipere prohibetur, Naturâ, ut est furiosus, mutus, surdus, impubes &c. *l. 12. §. 7. ff. de jud.* An & cœcus? Negatur per *l. 6. ff. eod.* nisi in casibus, ubi

aspectus

aſpectus judicis requiritur Bach. ad Tr. *Vol.1. Diſp.12. th.7. lit. C.* Aut jure; ut fœminæ, ſervi & ſimiles *d. l.12.* §. *2.* quibus annumeramus legum & juris imperitum *l.14. C. de jud. Nov.82. pr. & ibi Cuiac.* Bronch. *cent.1. Aſſert.64.* Controvertitur aliàs, an indiſtinctè ob legitimam ſuſpicionem tàm judex Ordinarius, quàm delegatus recuſari poſſit? Jure Canonico expeditum eſt, quod nempe omnis ſuſpectus ſive ſit Ordinarius, ſ. delegatus, poſſit recuſari *c.4. X. de for. compet. c.61. X. de appellat.* De Jure Civili autem negant, & dicunt quod judex ordinatius recuſari non poſſit, ſed ipſi debeat adjungi alius, Gail. *1. Obſ.33.* Mynſ. *cent. 2. Obſ.52.* Marant. *part.4. diſt.5. n.42.* Verùm jure Civili quoque Ordinarium tanquàm ſuſpectum recuſari poſſe, dicendum videtur *per l.12.16. C. de jud. Nov.97. c.2. & ea* quæ habet Cujacius *9. Obſ.23. in fin. & ad Nov.53.* Ummius *Diſp.1. ad Proceſſ. jud. th.9. n.56.*

Th. XIII.

Exceptiones, quæ judicium ſaltem differunt, ſunt; Exceptio loci non tuti, & loci inhoneſti, temporis anguſti, & feriarum. Exceptio loci non tuti objicienda eſt, ſi vel in ipſo loco judicii, vel locis iis, per quæ tranſire neceſſariò cogitur reus, periculum aliquod vel injuria immineat. Hinc ob bellum publicum, inimicos, quos in judicii loco habet capitales, incarcerationem, peſtem, & alia pericula reus non tenetur comparere. *c. cum R. Canonicus 35. de off. delegat.* Socinus *in c. veniens n.171.* Conſultum tamen erit, ut in jus vocatus hujusmodi pericula judici per epiſtolam, vel quomodocunque poteſt, inſinuet; Zang. *cap.5. part.2. n.4.* Exceptio loci inhoneſti opponitur, quando nimirum judex ad aliquem locum inhoneſtum adeſſe reum juſſerit, quo caſu impune non paretur *l.1.* §. *11. de arbitr.*

 Th. XIV.

Th. XIV.

Exceptio temporis angusti defendit reum, si nimis brevis atque angustus terminus ei datus sit, adeô ut rectè secum deliberanum an cedere, an contendere debeat, ipsi sit impossibile, vel admodum difficile *l. 1. ff. de edendo c. 1. de dilat.* Tempus autem in genere est præscriptum in *l. 68. & l. seq. ff. de jud. l. 10. ibi nec triduum ff. de publ. jud. Auth. qui semel C. quomod. & quand. jud. Nov. 112. c. 3. Auth. offeratur C. de lit. contest. Nov. 53. c. 1. de dilat.* Hodie tamen, hic, ut & alii termini, intra quos juridicè proceditur, arbitrio judicis committitur, qui eum secundùm loci, personarum, & causæ qualitatem abbreviare, vel dilatare potest *arg. l. 13. §. fin. & seq. de damn. infect. l. 72. de jud. l. 2. de Re jud.* Bartol. *in auth. qui semel C. quomod. & quand. jud.*

Th. XV.

Si quis feriarum tempore ad eum locum, in quo judicium agitur, citatus sit, exceptio feriarum locum habet *l. 2. ff. si quis in jus voc. l. 6. de feriis & dilat.* Triplices autem sunt feriæ, in quibus omnibus opponi potest hæc exceptio: Solennes, quæ ab Ecclesia ob cultum DEi celebrandum introductæ sunt, ut dies Dominici *l. 2. & seqq. C. de feriis.* Repentinæ, quæ à Principe, vel Magistratu re feliciter gestâ inducuntur *l. 4. C. de fer. ibique Goth.* Et necessariæ, quæ ad necessitatem hominum, ad colligendos fructus introductæ sunt, ut est tempus messium & vindemiarum *l. 4. ff. de feriis l. 5. C. eod.* quod eis quoque prodest, qui in messibus non sunt occupati. Wesenb. *in tr. ff. de fer. n. 7.* Carpz. *in process. tit. 9. Art. 1. n. 10.* Negari tamen non potest, quod partes hisce feriis necessariis, non autem quæ in honorem DEi sunt institutæ, renunciare possint Gail. *l. 1. Obs. 53. n. 16.*

Th. XVI.

Th. XVI.

Hactenus de exceptionibus dilatoriis, quæ ad judicium spectant, jam ad eas, quæ ex qualitate & conditione litigantium desumuntur, quæ Vel concernunt personas principales, & ex principalibus quidem vel solum Actorem; vel solum Reum; vel utrumque; Vel intervenientes; Solùm Actorem concernunt; Exceptio excommunicationis & contumaciæ.

Th. XVII.

Exceptio excommunicationis tam Ecclesiasticæ, quàm Civilis actorem repellit, qui vel Civiliter vel Ecclesiasticè est excommunicatus; quia talis persona est inhabilis actionem quandam instituere, cùm civis Romanus amplius non sit, & pro hoste habeatur *l. in amissione §. qui deficiunt in fin. ff. de cap. diminut.* Deinde, quoniam per contagionem animique vitium, quo laborat, ab Ecclesia communique hominum societate prorsus excluditur & separatur, *can. ad mens. 24. §. aliq. 11. can. 11. quæst. 3.* Satanæ & angelis ejus traditur, tanquam membrum putridum à corpore abscissum abjicitur, & hoc modo sacrosanctæ justitiæ officinæ indignus redditur *c. dilecti 8. de Except. l. si qui reus. 5. de publ. jud. can. 16. c. qui communicavit 19. can. omnis Christiano 32. & can. 3. de causa 11. quæst. 3.* Menoch. *de arbitr. jud. quæst. lib. 2. cent. 5. cas. 4. 16. n. 2.*

Th. XIIX.

Exceptio contumaciæ datur, si actor non comparaverit die in citatione, aliisque mandatis, à judice statuto *l. 13. §. 2. C. de jud.* In tribus autem temporibus fieri potest, ut tergiversetur actor, quæ singula diversos producunt effectus. Primò in ipso termino simplicis citationis,

tionis, si non compararcat, reus de ipsius contumaciæ excipere potest, & petere, ut non tantùm terminus pro circumducto habeatur, & ita à citatione absolvatur; sed etiam actor ad viatica, litisq; sumptus reddendos reo condemnetur *l.79. in pr. ff. de jud.* Secundò, si quidem compareat in termino citationis, postea tamen antequam lis contestatur, ad trinam citatione vel unicam peremptoriã non venerit, tunc potest reus petere, ut juxta dispositionem *authentica qui semel C. quom: & quand. jud. & cap. caus. 3. de dol. contumac.* in totum ab impetitione Actoris absolvatur. Matth. Colöer. *decis. 104. n. 4.* Tertiò, post litis contestationem legitimè citatus, si non comparuerit, tunc judex reum ab observatione judicii absolvere, si non plenè ei de causa constet; vel si de ea satis sit instructus, sententiam pro eo, qui justam causam fovet, proferre, & actorem semper in expensas condemnare debet *l. 13. §. 2. C. de jud.*

Th. XIX.

Solum reum afficiunt: Exceptio non impetratæ veniæ, Impedimenti, & cessionis bonorum. Exceptio non impetratæ veniæ munit eas personas, quæ propter reverentiam sine jussu Prætoris in jus vocari non possunt *l. 13. ff. de in jus voc. l. 2. C. eod.* Tales autem personæ sunt, Magistratus *l. 2. d. t.* Parentes utriusque sexus in infinitum *l. 4. eod.* Pater adoptivus *l. 8. ff. eod.* Patronus, uxor, patroni *l. 1. l. 2. C. d. t.*

Th: XX.

Exceptio impedimenti Reo prodest, si in termino ob justum impedimentum comparere nequit. Justa impedimenta sunt morbus sonticus, tempestas, vis fluminis, absentia Reipublicæ causâ, captivitas *l. 6. ff. de re jud.*

jud.l.2.§.3.si quis caut.l.1.de divers. temp. præscr. Occasione captivitatis quæritur: An captivus, si ex alia causa civili in jus vocetur, procuratorem mittere, & ex carcere causam defendere possit? Distinguendum erit juxta causæ qualitatem, quæ si ardua sit, ita, ut ob varias circumstantias procurator ad eam expediendam instructione accurata & continua egeat, tunc non tenetur se ex carcere defendere; si autem causa non sit magni momenti, tunc tenetur incarceratus ad citationem per Procuratorem judici parere, *arg.l.16.in pr.pro Socio.l.5. in pr.de pœnis.*

Th. XXI.

Exceptio cessionis bonorum conceditur debitori obærato, qui bonis cessit, adversus impetitionem creditorum *l.4. de ceß.bon.* Competit autem omnibus debitoribus, tam patribus, quàm filiisf. *l.7. C. qui bon. ced. poß.* tàm fœminis, *arg. auth. sed hodie C. de custod. reor.* quàm maribus *d. l. 7.* etiamsi se debitum soluturos juraverint. Nam juramentum quidem servandum, sed quatenus possibile est.

Th. XXII.

Utrumque Reum & Actorem concernit 1. Exceptio legitimationis. Quidam enim ob pueritiam, quidam ob causam legitimam standi in judicio personam non habent, ideoque nec litem intendere possunt, nec excipere. *l. 1. §.3. ff. de Postulando.* 2. Exceptio Satisdationis; nam absque cautione & satisdatione litigantes non facilè admittuntur, nealiàs judicia elusoria reddantur *arg.t.t.Inst. de satisdat.* & ibi Vultej. *n. 1. & 2.* Actor quidem satisdet, intra duos à tempore porrecti libelli menses, se litem contestaturum, in judicio ad finem per-

 man

mansurum, & si succumbat expensas soluturum *Nov.69. c.1. ibique Cuiac. Nov.112. c.2. Auth. Generaliter C. de Episc. & Cleric.* Verùm duæ priores satisdationes ab usu fori nostri recesserunt, teste Sichardo *in auth. offeratur C. de de litis contest. n.14.* sola de refusione expensarum adhuc superest, Zanger. *part. 2. cap. 20. n. 5.* Hering. *de fidejuss. c.19. n.118.* Procurator ejus, si de mandato dubium est, de rato cavet, *§.3. Inst. de satisd.* Reus verò satisdare cogitur, de judicio sisti i. e. se in judicio compariturum, usque ad finem mansurum, & sententiæ ferendæ adfuturum *§.2. Inst. d. l. ibiq; Vult. n.4.* Ummius *disp. ad process. 9. th.4. n.14. & 15.* Procurator ejus judicatum solvi, si dominus absfuerit. *d.* §. 2. Nam si præsens sit, ipse pro procuratore suo satisdare tenetur *§.4, Inst. d. t.*

Th. XXIII.

Exceptiones quæ personas intervenientes respiciunt, sunt exceptiones Procuratoriæ, quibus vel contra Procuratoris personam, vel ejus mandatum excipitur. Contra ejus personam, quod videlicet procurator esse prohibeatur. Prohibentur autem minores 25. annis in causis ex quibus in integrum restitui possunt. *l.51. ff. de procurat.* fœminæ *l.18. C. eod.* miles in aliena causa *l.7. l.9. C. h. t.* Decuriones aliique, digniores *l.6. l.34. C. de Decurionib,* Seruus *l.1. & t. t. C. qui leg. person. stant. in jud.* Rei causæ capitalis *l.6, C. de proc.* Excommunicati *c. intelleximus de jud.* fiscus, universitas aut Civitas *l.3. & t. t. C. ne fiscus vel Resp.* Contra mandatum excipitur, quod nullum habeat *l.24. C. de Proc. c. in nostra 4. de proc.* vel habeat quidem, sed non legitimum *c. 1. eod. c. procurator 38. de elect.* vel mandatum habeat tantùm generale, cùm in negotio speciale requiratur *c.5. de Proc. in 6.*

Th. XXIV.

Th. XXIV.

Exceptiones dilatoriæ causam ipsam respicientes sunt: Exceptio inepti libelli, plus petitionis, præjudicialis, pacti conuenti temporalis, Spolii, sub & obreptionis, excussionis, ordinis, competentiæ, cedendarum actionum, & exceptio appellationis desertæ vel non devolutæ. Exceptio inepti libelli opponitur, cùm requisita ad libellum necessaria non sunt observata Dn. Ungep. p. m. *ad Decret. lib. 2. t. 3. n. 2.* Quod dici potest, si nimis generaliter vel obscurè sit conceptus libellus, ita ut non appareat, quid quantum & quale illud sit, quod petitur *l. 6. de R. V. l. 1. ff. depositi l. 52. §. 25. ff. de furt. l. 7. ff. de injur.* si nulla causa petendi & agendi sit expressa; & quanquam sit apposita, nulla tamen ex ea bona & necessaria consequentia subsequatur *l. 2. ibique gloss. de formi. & impet. act. subl.* si nomine actoris, vel rei, vel judicis libellus careat. *l. 13. ff. de jud. l. 65. ff. de Procurat. l. fin. C. de edendo.* si actiones ineptè in eo sint cumulatæ. *l. 14. & 16. C. de inoff. test. l. 43. ff. de R. I.*

Th. XXV.

Exceptio plus petitionis datur, si actor vel tempore, vel re, vel loco, vel causa plus petat *§. 10. de Except. §. 32. Inst. de act.* Re plus petitur, cùm is, cui decem debentur 20. aureos petit, aut cum is, cujus ex parte res est, totam eam vel majorem partem suam esse intendit *d. §.* Tempore plus petitur, cùm is, cui debetur in diem, vel sub conditione, petit antequam dies veniat, aut conditio existat *§. 5. Inst. de fideiuss.* Loco, cùm quis id, quod in certo loco puta Noribergæ sibi dari stipulatus est, in alio loco puta Lipsiæ petit. Causa denique plus petitur, cùm is, qui alternativè stipulatus est, hominem Stichum,

aut

aut decem sibi dari, alterum præcisè petit, vel hominem tantùm, vel decem tantùm. Hic idcirco plus petere dicitur; quia recepta juris regula est; in alternativis stipulationibus promissoris esse electionem *l. 10. in fin. ff. de jur. dot.* Olim contra eos qui plus petebant gravissimæ erant constitutæ pœnæ, ut patet *ex d.* §. Verùm hodie nulla alia pœna superest, præterquam quod Rei absolvantur ab instantia & observatione judicii, ac simul condemnetur actor ad refusionem expensarum, reservato ei jure denuo agendi, post evenientiam diei, vel existentiam causæ Carpz. *part. 1. C. 3. d. 12.* Matth. Col. *part. 2. decis. 265. n. 3.*

Th. XXVI.

Exceptio Præjudicialis est, quâ excluditur actio hac ratione, quod actioni principaliori præjudicium faciat *l. 16. & 18. ff. h. t. de except.* Quod ita scilicet accipiendum, si majoris & minoris quæstionis actio inter easdem personas instituitur Zanger. *c. 10. part. 2. n. 2. 3. 4. 5.* Nam si tertius contra reum actionem aliquam intendat, puta si quis, lite inter me & Titium super hereditate Caji pendente, ex contractibus Caji defuncti adversus me aut Titium actionem instituat, sanè hoc casu prætextu petitionis hereditatis aliæ exceptiones non debent differri, nec obstabit actori exceptio præjudicialis, quasi petitioni hereditatis præjudicium per eam inferatur, cùm in hoc judicio uterque se heredem affirmet. *l. fin.* §. *1. C. ubi* Paul. de Castr. & Bald. *C. de hered. pet.*

Th. XXVII.

Exceptio pacti conventi temporalis competit, si creditor pactus sit, se ante quinquennium non petiturum §. *10. Inst. de Except. l. 3. ff. eod.* Cui affinis est ea, quæ

mora-

moratoria dicitur, quâ debitores, qui citra culpam facultatibus suis lapsi sunt, rescripto Principis ad certum tempus contra creditores suos se defendunt *l. 2. C. de prec. Imp. off.*

Th. XXVIII.

Exceptio spolii datur, si spolians, vel mandans, aut ratam habens dejectionem, vel particeps doli, vel horum universalis successor, ad quem spolium pervenit, aut dolo ejus factum sit, quo minus pervenerit, ex quacunque causa adversus spoliatum agat. Nisi enim reo ablata & adempta res prius restituatur, non tenetur respondere *c. cum dilectus 2. de ord. cogn.* Debet tamen de spolio probare, quod possiderit, & quod vi vel dolo malo actoris dejectus fuerit. *l. 1. in pr. de vi & vi armat.*

Th. XXIX.

Exceptio Sub & Obreptionis opponitur mandatis, rescriptis, inhibitionibus & literis Principis, aliorumque judicum, ad instantiam atque falsam affirmationem supplicantis emissis, sive in juris narratione mendacium reperiatur, sive facti, sive in tacendi fraude *l. 2. C. si contra jus sive ut. publ.* Locum quoque habet, etiamsi mandatum siue clausula in Camera Imperiali impetratum fuerit. Nam omnia rescripta, omniaque mandata, vel cum, vel sine clausula tacitam hanc habent conditionem; Si preces veritate nitantur *c. 2. de rescript.* Objectâ autem hâc exceptione, si non sit notoriè falsa vel calumniosa, reus eam, ut probet, necesse est, *c. ult. de præsumpt.* Oldrad. *cons. 209. in fin.* Mascard. *in vol. 3. tract. de probat. conclus. 1123. n. 19.* Gail. *l. 1. Obs. 14. n. 1. 2. 3.* Dn. Ungep. p. m. *ad Decret. l. 1. tit. 3.* & nisi eam probaverit, ei injungitur paritio

cum

cum eventuali pœnæ declaratione, hac forma; Daß der Beklagte dem ausgegangenen Mandat bey Pœn nochmahls zugeleben schuldig Zang. *part. 2. cap. 17. num. 22.*

Th. XXX.

Exceptio Excussionis competit fidejussoribus ad hoc; ut prius principalis conveniatur atque excutiatur, an sit solvendo, vel non. *Nov. 4. c. 1.* Non solùm autē datur fidejussoribus, sed etiam possessoribus pignorum, cùm res ab iis exigitur, priusquam debitor principalis, vel ejus fidejussor conveniatur, atque excutiatur. *d. Nov. 4. c. 2.* Cessat hæc exceptio, si fidejussores huic exceptioni & omni legum auxilio renunciarint Bald. in *l. 1. C. de conv. fisci debitor. lib. 10.* si se ut principales, als selbstschuldner obligarint, & quidem in solidum *l. 23. §. 1. cum ibi not. Bald. C. ad SC. um Vellei.* aut si notoriè constaret de inopia principalium: Schneidevv. *in §. 4. Inst. de fideiuss.* aut si debitor principalis latitaret, ut citari non possit Guid. Pap. *d. 570.* Plures casus vide apud Gail. *l. 2. Obs. 27.* Berlich. *part. 2. Concl. 23.*

Th. XXXI.

Exceptio ordinis, quæ ratione effectus nullum ab exceptione excussionis habet discrimen, tutoribus ex contutoris facto conventis est indulta *l. fin. C. de div. tut.* Exceptio porro cedendarum actionū competit fidejussoribus, qui solvere parati sunt, ut eis creditor actiones contra confidejussores cedat *l. 10. l. 13. l. 36. ff. de fidej. l. 28. ff. mand.* Exceptio verò competentiæ illis conceditur, qui ultra, quam facere possunt, non debent condemnari. *arg. l. unc. §. 7. C. de rei uxor. act. l. 8. ff. de condict. indebiti. l. 26. §. 7. l. 32. §. 1. l. 40. pr. l. 43. eod.*

Th. XXXII.

Exceptio denique appellationis desertæ datur, si appellans tempora interponendæ, introducendæ & prosequendæ appellationis non observaverit, neq; inter præstituta tempora apostolos petierit. Tempora autem ista sunt præscripta in *Auth. hodie. C. de appell. Auth. ei & seq. C. de temp. repar. appell. clem. quamvis 2. de appell.* Gail. *l. 1. Obs. 139. 140. 141.* Non devolutæ, si quis nomine alterius absque mandato appellaverit *c. autoritate 4. §. inhibemus de privi. in 6.* & si appellatum fuerit, à quo provocare non licet *l. 1. à quib. provoc. non licet.* Tantùm de exceptionib. dilatoriis.

Th. XXXIII.

Exceptiones peremptoriæ sive perpetuæ sunt; quæ actionem in totum tollunt §. *9. Inst. h. t.* vel quæ semper locum habent, nec evitari possunt *l. 3. ff. eod.* Oldend. *in tr. de Except. quæst. 8.* Dicuntur autem exceptiones perpetuæ non tam ratione temporis, quàm effectus, qui in illis perpetuus. Nam perpetuà exceptione objectâ efficitur, ne mihi posthac actio intentata noceat, cùm planè interimat, ac tollat totius negotii cognitionem *l. 2. C. de prec. Imp. off.* Species exceptionum peremptoriarum sunt variæ, & nascuntur vel cum ipso negotio; vel post illud; Quæ cum ipso negotio nascuntur, vel ex sola re proveniunt, vel ex personis. Quæ ex sola re proveniunt, sunt: exceptio doli mali specialis, simulationis, quod metus causa, litigiosi, in factum, & non numeratæ pecuniæ.

Th. XXXIV.

Exceptio doli mali specialis competit adversus exigentem id, quod dolo promissum est. *§. 1. Inst. h. t.* Et introdu-

troducta est jure Prætorio, ne cui dolus suus per occasionem Juris Civilis contra naturalem æquitatem prosit *l. 1. §. 1. de dol. mal. & met. except.* Nihil autem inter est, sive actio oriatur ex contractu stricti juris *l. 5. C. de inutil. stipul. l. 36. ff. de V. O.* sive bonæ fidei, in quem dolus aut metus incidit *l. 5. C. de pact. l. 6. ff. de dol. mal. & met. exc.* Nam dolus dans causam contractui b. f. hunc reddit ipso jure nullum *l. 7. pr. ff. de dol. mal. & met. except.* Exceptio simulationis oritur, cùm promissio facta est simulatè, ob causam non veram, & ita aliud est actum, aliud simulatè conceptum Marant. *part. 6. memb. 9. n. 33.* Debet enim in contractibus veritas potius, quàm scriptura perspici *l. 1. C. plus val. quod agitur quam quod simul. concip.*

Th. XXXV.

Exceptio metus locum habet, si quis metu coactus stipulanti aliquid promiserit *l. 7. C. quod met. causa.* Multa aliâs hæc exceptio cum exceptione doli habet communia, differt tamen ab illa, & quidem præcipuè in eo, quod hæc sit personalis duntaxat; illa verò in rem scripta, in qua non quæritur, utrum actor metum intulerit, an alius, sed tantùm an metus sit illatus *l. 4. §. 33. ff. de dol. mal. except.* Deinde licet metus causam contractui etiam bonæ fidei dederit, tamen ille non est ipso jure nullus, sed exceptio hæc opponi debet *arg. l. 21. §. 4. l. ult. §. 1. ff. l. 4. & 5. C. quod met. causa gest. Gloss ad d. l. 21. §. 3.* Mynf. *6. ob. 38. n. 3.* Bach. *in Tr, vol. 1. d. 28. th. 2. lit. f.* Perez. *ad C. in his quæ vi metusve causa n. 4.*

Th. XXXVI.

Exceptio Rei litigiosæ ementem rem litigiosam à persecutione ejus repellit. *l. 1. de litig. l. 1. §. fin. quæ res*

pig.

tig. Res autem litigiosa est, de cujus dominio causa movetur inter petitorem & possessorem judiciariâ conventione, vel precibus principi oblatis, aut judici insinuatis, & per eum futuro reo cognitis. *auth. Litigiosa C. de litigios.*

Th. XXXVII.

Exceptio in factum reo subvenit apud prætorem vel judicem, narranti solummodo factum, rem scilicet aliter se habere, atque ab actore dictum sit, ex cujus narratione iudex arbitratur, justus ne error fuerit, an non. Mynſ. *ad §. 1. n. 9.* Et datur contra eum, qui petit id, quod quis per errorem vel facti, vel juris, quasi deberet, promisit *l. ult. ff. ad SCtum Maced.*

Th. XXXVIII.

Exceptio non numeratæ pecuniæ *l. 3. l. 9. C. de non num. pecun.* est duplex; Una, à creditore opponenda intra 30. dies fasso sibi solutum esse *l. 14. §. 2. C. d. t.* Altera debitori competens, qui chirographo confessus est, sibi pecuniam esse numeratam, quam tamen reverà non accepit, intra biennium opponenda *t. t. Inst. de lit. Obl. d. l. 14.* Audiendus tamen adhuc est, si post biennium onus ptobandi in se recipere velit. Ludvv. *in disp. ad Inst. 12. th. 9. lit. E.*

Th. XXXIX.

Ratione personæ oriuntur Exceptio SCti Macedoniani & Vellejani. Exceptio SCti Macedonian. datur adversus petitionem & actionem illius, qui filiofamil. pecuniam credidit *l. 1. in pr. ad SCt. Maced.* Et datur præcipuè parentibus, qui ex filii contractu obligantur *l. penult. C. d. t.* fidejussoribus *l. 9. ad SCtum Maced.* post mortem parentum etiam ipsis filiisfam. *l. 1 d. t.* etiamsi ex-

 ceptio-

ceptioni renunciarint *l. 11. eod.* Excipiuntur casus aliquot, in quibus hæc exceptio locum non habet. (1.) si pater scienter ipsum filium contrahere permittat, *l. 4. C. d. t.* (2) si patris jussu *l. 5. C. eod.* (3) si celebratum contractum ratificet *l. 3. C.* (4) si pecunia mutua data sit ex necessaria causa *d. l. 5.* (5) si filiusfam. se patremf. asseveraverit, talisque reputetur *l. 2. C. eod.*

Th. XL.

Exceptio SenatusConsulti Vellejani competit mulieri adversus creditorem, cui se pro alio ream fecit *l. 1. §. 1. ad SCtum Vellej.* Cessat hæc exceptio, si post biennium ab intercessione iterum se obstringat, & pignora det, quia non potest dici levitate quadam intercessisse *l. 22. C. eod.* Item, si huic beneficio tam judicialiter quàm extrajudicialiter renunciaverit, *l. fin. §. 4. ff. l. 21. C. dt. Nov. 118. c. 5.* si monita modò sui beneficii sit à Notario *l. 5. de transact.*

Th. XLI.

Post negotium existunt Exceptio rei venditæ, solutionis, solennis obsignationis, novationis, delegationis, compensationis, usucapionis, præscriptionis, Rei judicatæ, jurisjurandi, transactionis, pacti conuenti, divisionis, perjurii, Implementi non secuti.

Th. XLII.

Exceptio rei venditæ, venditori, ejusque successori, tàm universali, quàm singulari *l. 1. §. 1. de except. rei vend.* rem venditam & traditam repetenti obstat, pretio nondum soluto *l. 1. & ult. de Except. rei vend.* Non enim rem repetere, sed pretium petere potest, in quò differt ab emptione permutatio; Imo ne quidem ob pretium non solutum rescindere licet venditionem, sed agere ad interesse *l. 14. C. de rescind. vend. l. 8. C. de contrah. empt.*

Th. XLIII.

Th. XLIII.

Exceptio ſolutionis, in ſpecie ita dicta, competit ei, qui rem debitam creditori, vel juſſu ejus alii, naturaliter præſtitit *l.49. ff. de ſolut.* Eſt enim ſolutio liberatio debitoris à creditore, cui, vel alteri ab eo mandatum habenti, à debitore, vel alio ejus nomine, id quod debetur in eâdem qualitate vel quantitate, loco & tempore congruo præſtatur. Huic invito aliud pro alio *l.16.C. de ſol.* res deterior *l.3. de reb. cred.* pars pro toto *l. 41. §.1. de Uſur.* loco importuno *l.9. de eo quod certo loco.* & ante diem *l.102. de ſolut.* ſolvi non poteſt. Obſervandæ tamen ſunt qualitates perſonarum, quibus ſolvitur; ſi enim debitum ſit ſolutum furioſis, mente captis, prodigis & pupillis ſine tutorum curatorumve autoritate, tunc hæc exceptio locum non habet. *l.28. ff. de pactis l.5. & 40. ff. d. R. I.*

Th. XLIV.

Exceptio ſolennis obſignationis prodeſt ei, qui pecuniam debitam oblatam obſignavit, obſignatamque in loco publico depoſuit. *l.6. l.19. C. de Uſur.* Tria igitur concurrunt in obſignatione, oblatio pecuniæ debitæ, obſignatio oblatæ, & oblatæ & obſignatæ in loco publico depoſitio: Oblationis quatuor præcipuæ ſunt leges. Prima eſt, ut totum debitum, ſors nempe cum uſuris debitis, offeratur *l.6. C. de ſolut. d.l.6. & 19. C. de Uſur. l. fin. C. de luit pign.* Secunda, ut debitum offeratur realiter; non enim ſufficit, ſi dicit, etiam teſtatò, ſe paratum eſſe ſolvere, quoniam qui ita dicit, nihil obtulit *l.82 ff. de cond. & demonſtr.* Tertia eſt, ut debitum offeratur oportuno loco & tempore *l.39. ff. de ſol. l.9. C. eod. l. pen. quod cert. loc. l.112. in pr. ff. d. V.O.* Quarta lex eſt, ut offeratur teſtatò h.e. teſtibus præſentibus *d.l.6. & 19. C. de Uſur.* Effectus

hujus

hujus solennis depositionis sunt, quod debitor ab obligatione liberetur *l. 9. C. de solut.* & cursus usurarum impediatur *l. 19. C. de Usur.* quod pignorum & fidejussorum obligatio tollatur *l. 8. C de distr. pign. l. fin. de luit pign.* & quod post pecuniæ depositionem ea incipiat esse periculo creditoris *l. 72. ff. de solut.*

Th. XLV.

Exceptio novationis, est debitoris adversus intentionem actoris seu creditoris defensio, per quam asserit, obligationem, quâ creditori obstrictus fuit, peremptam esse, & proinde adversus se nullam habere actionem, utpote jam dudum extinctam *l. 1. de Nov.* Novatio autem facta censetur, cum idem debitum in aliam obligationem est deductum *d. l. 1.* Nam si aliud debitum in obligationem deducatur e. g. pro equo, qui primò debebatur, decem, non fit novatio, sed alia separata obligatio *l. 26. §. si certum. de condict. indebit.* Aliàs ista tantùm personæ novare possunt, qui liberam rerum suarum habent potestatem; hinc pupillis, filiisfam. servis, furiosis, & prodigis est interdicta *l. 3. l. 20. l. 16. 23. & fin. de novat. l. 1. §. 10. de O. & A.* eorum tamen loco, si ipsis prosit, novare possunt tutores & curatores *l. 20. §. 1. l. ult. ff. de Nov.* Novari autem potest omnis obligatio, tàm naturalis, quàm Civilis *l. 1. §. 1. eod.* omniaque debita *l. 2. ff. d. t.* etiam unâ stipulatione plures *l. fin. §. 2. ff. eod.* An autem conditionalis obligatio novari possit? vide Zangerum *part. 3. cap. 5. num. 12.*

Th. XLVI.

Exceptio delegationis subvenit Reo affirmanti, obligatione, quâ creditori devinctus erat, interventu tertii sublatâ nullam actori superesse actionem. Delegare,

gare, est vice suâ alium reum dare creditori, vel cui jusserit; fit autem vel per stipulationem, vel per litis contestationem *l. 11. ff. de novat.* hodiè etiam fit nudo consensu *l. 15. de reb. cred.* inter absentes scripturâ vel nutu *l. 17. ff. de Nov.* Hæc ferè delegationi sunt propria, reliqua cum novatione habet communia, veluti quæ semper delegationi inest *l. 2. C. de Novat.*

Th. XLVII.

Exceptio compensationis creditorem eundemque debitorem petentem submovet, si reus paratus sit compensare *l. 2. ff. de compens.* Locus est compensationi sive ex contractu, non depositi *l. ult. C. h. t.* sive ex maleficio, dum tamen civiliter *l. 10. §. 2.* & sive personali, sive reali actione agatur *l. fin. C. eod.* §. *30. Inst. de Act.* In publicis judiciis compensatio non admittitur *l. 21. §. 4. & l. 13. ff. ad L. Jul. de adult.* neque conceditur, si species hinc inde, vel individuum obligationi inest, vel in genere species debebatur, ut homo *l. 22. gloss. & Dd. in l. 1. ff. h. t. de comp. & in l. fin. C. eod.* quia aliud pro alio invito creditori dari non potest *l. 2. §. 1. si cert. pet.* Quantitatis autem ad quantitatem rectè fit compensatio, vel speciei cum specie, cum idem genus debetur, ut hominis cum homine Paulus *lib. 2. sent. cap 5.* Accurs. Bald. *in l. 78. ff. de hered. instit.* modò debitum quoque, quod in compensationem deducitur, verè subsistat, vel jure civili, vel gentium, vel certè æquitate naturali *l. 6. ff. h. t.* & sit purum *l. 7.* liquidum *l. fin. C. eod.* i.e. quod certum sit deberi, aut facile probari atque ostendi possit. *d. l. fin. §. 1. & ibi Dd.*

Th. XLVIII.

Exceptio usucapionis conceditur Reo, rem ab

 actore

actore petitam per continuationem possessionis temporis lege definiti à se usucaptam esse contendenti *l.3. h.t. c.1. de lit. contest. in 6to.* Tria autem potissimum ad usucapionem requiruntur (1) res ad usucapionem aptæ *§.1. Inst. de usucap.* quædam aptæ non sunt, vel naturâ suâ, ut res quæ non sunt in commercio *d. §.1. l.9. ff. eod.* & meræ facultatis *arg. l.2. ff. de via publ. & itin. publ.* Gail. *l.2. Obs.18. n.4.* vel lege, partim favore dominorum, ut res pupillares *l.10. ibique Gothofr. ff. quib. mod. serv. amittit.* minorum *l. fin. C. in quib. causis in integr. restituitur* dotales *l.30. de jur. dot.* & similes; partim odio possessorum, ut res furtivæ *§.6. J. de Usuc.* & vi possessæ *§.2. J. eod.* & præsidi contra legem Juliam donatæ *l.48. pr. & l. pen. pr. ff. ad L. Jul. repet.* (2) requiritur ad usucapionem bona fides, & tam naturalis, quàm Civilis possessio *l.1. §.15. l.4. §.5. l.22. de acquir. poss. l.16. de Usuc.* (3) requiritur continuata possessio per tempus lege definitum. §. *novissimo & §. furtiva. Inst. h.t.* Nam si usurpata i.e. interrupta fuerit sive naturaliter *l.4. §.22. l.15. ff. h.t.* sive civiliter per litis contestationem *l.10. C. d.t.* & ipsa usucapio interrupta censetur *l.10. C. de acquir. possess.*

Th. XLIX.

Exceptioni usucapionis affinis est exceptio præscriptionis temporis, quæ datur contra eum, qui tempora actioni suæ præscripta labi passus est, *pr. Inst. de præsc. & t. t. de divers. temp. præscr.* e.g. si quis agat post annum de injuriis *l.5. C. de injur.* post biennium de dolo *l. fin. C. de dol. mal.* post quinquennium de in officioso *l.34. C. de in. off. testam.* aut redhibitoriâ, post sex menses, aut quanto minoris post annum *l.19. §. ult. ff. de Ædil. edict.* aut actione personali post 30. vel 40. annos *l.2. C. de constit. pecun. l.3. & 4. C. de præscript.*

Th. L.

Th. L.

Exceptio rei judicatæ datur, quando Reus in judicio absolutus de novo ex eàdem càusa *l.5. l.7. §.4. l.11. §.4. de except. rei jud.* ab eàdem persona *l.3. l.14. §.2. l.16. & tot. tit. C. quib. res jud. non noc.* de eàdem re convenitur *§.1. Inst. de except.* Res verô Judicata est lis finita sententiâ judicis competentis. Cujac. *in parat.* quod tamen de sententia definitiva; non autem interlocutoria intelligendum est; illa enim, non hæc litem terminat & finit. *l.1. ff. de re jud. c.2. X. eod.* & transit post decem dies in rem judicatam *Nov.23. Nov.116. Auth. hodie ubi Gloss. C. de appell.* nec potest ob instrumenta noviter inventa aliasve probationes retractari *l.4. C. hic l.12. §.3. de bonis libert.* nisi lata sit ex falsis instrumentis *l.1. & seqq. C. si ex fals. instrum.* aut ex præsumptionibus *l.33. ubi Gloss. C. de adult.* aut ex opinione peritorum in aliena arte Jas. Alex. in *l. arbitrio, qui satisd. cog.* aut in causa matrimonii, aliisque causis exceptis vide *gloss. in c. lator de re jud.* Marant. *cap. de sent.* Imò ex re judicata non modo is, qui obtinuit, exceptionem habet litis finitæ, si de ea conveniatur *c.1. de lit. contestatione in 6. t. t. de except. rei jud.* sed etiam actionem, ut satisfiat sententiæ. *l.6. §. fin. l.4. in pr. cum §. seq. h. t. l. 8. C. de reb. cred.*

Th. LI.

Exceptio jurisjurandi datur debitori quacunque actione convento, si creditore deferente nihil se dare opportere juraverit, vel cum jurare paratus esset jusjurandum ei sit remissum §.4. *Inst. de exc. l.6. ff. de jurejur.* Quanquam enim juramentum tantum tollat naturalem obligationem, non civilem *l. ult. pr. ff. de jurejur. l.95. §.4. ff. de solut.* quia tamen iniquum est de perjurio queri; debitor

per exceptionem defenditur §.4. *J. de except. l. 15. ff. eod. l.2. l.5. ff. de jurejur.* quemadmodum & jure prætorio adversus eum, qui juravit, actio denegari solet, *l.7. ff. de jusj.* Agimus autem hîc de juramento voluntario, quod à parte parti extra judicium per modum transactionis ex conventione defertur *l.17. in pr. l.39. ff. de jus jur.* non etiam de judiciali, quod à parte parti autoritate judicis defertur judicio instituto; hoc enim cum juris autoritatem habeat, approbationem nempe judicis, ipso jure obligationem tollit *l.12. §. 1. ibique Dd. C. de R. Cred. & jusjur.* Harpr. *ad §. 4. Inst. de Except.*

Th. LII.

Exceptione transactionis uti potest, qui de causa jam transacta denuò convenitur *l.21. 38. 41. C. de transact.* Transactio enim est rei dubiæ & litis incertæ neque finitæ, conventa decisio *l.13. l.16. l.30. C. de transact.* quæ semper est servanda, quoniam nihil ita fidei humanæ congruit, quàm ea, quæ placuerunt, custodiri *l.20. C. de transact.* nec ullus esset litium finis, si à transactionibus bonâ fide interpositis cœperit discedi *l.10. C. eod.* Hinc non minorem autoritatem transactionum, quàm rerum judicatarum Imperator esse voluit *d. l. 20.* propterea in exceptione transactionis eadem, quæ in exceptione rei judicatæ observantur, observanda sunt *l.9. C. de transact. l.135 §. fin. de V. O. l.2. C. inter alios acta.*

Th. LIII.

Exceptio pacti conventi de non petendo locum habet, cum creditor pactus est, ne à debitore suo peteretur *l.56. §. 5. de V. O.* quanquam enim pacto obligationes non omninò dissolvantur, & actio adhuc ipso jure competat, tamen exceptione hac eliditur *§. 3. Instit. de except.*

cept. quæ exceptio in omnibus contractibus consensualibus locum habet, nisi expressè aliud actum sit. §. *fin. J. quib. mod. toll. oblig.* Ummius *in Diss. ad Process. 8 th. 6. n. 41.*

Th. LIV.

Exceptio divisionis competit pluribus fidejussoribus; licet enim unusquisque in solidum teneatur *l. 3. cum auth. seq. l. 16. l. 21. l. 23. C. de fidejuss. §. 4. Inst. eod.* ex Epistola tamen divi Adriani habent inter se beneficium hoc, ut ille, qui in solidum convenitur, possit opponere atque petere, ut obligatio inter eos dividatur, ac quilibet pro parte tantùm conveniatur *l. 10. §. 1. de fidejuss.* Gail. *l. 2. obs. 27. n. 3.* Nihil verò interest ex plubus fidejussoribus unus purè, alius in diem, vel sub conditione sit obligatus, & an eodem tempore, an verò separatim diversis temporibus intercesserint *l. 27. ff. de fidejuss.* sed denegatur pluribus fidejussoribus, qui pro tutore rem pupilli salvam fore promiserunt *l. fin. D. rem pupil. salv. for.* non autem tutoribus vel curatoribus ipsis, qui simul & pariter gesserunt, aut quorum nemo gessit; nam quanquam quisque in solidum obligatur, & inter eos periculum commune sit *l. 55. in pr. ff. de admi-nist. & peric. tut.* naturali tamen æquitate introductum est, ut beneficiò divisionis se tueri possit *l. 1. §. 10. de tut. ration. distr.*

Th. LV.

Exceptio perjurii datur adversus eos, qui spreta jurisjurandi religione actionem intentant. Si autem actor absolutionem à juramento impetraverit, non repellitur exceptione perjurii, per ea quæ tradit Menoch. *cons. 24. n. 11. & seq. lib. 1.* Gail. *l. 1. obs. 22.*

Th. LVI.

Exceptio implementi non secuti rejicit actorem, qui conventioni non satisfecit. Oldendorp. *in Enchirid. Except.* nec relevat actorem, si dicat Reum mediante juramento, id, ad quod agit, promisisse, quia juramentum in se tacitam conditionem habet, si actor impleat etiam pro sua parte, quo deficiente deficit consensus jurantis Cravet. *in Cons. 127. n. 6.* Exempla aliàs contractus non impleti peti possunt ex *l. 13. §. 8. de act. empti l. 2. C. de pact. inter emp.* Et hactenus quoque de peremptoriis exceptionibus.

Th. LVI.

Causa efficiens exceptionum remota est jus naturale, quod

est

est fundamentum exceptionum, ut & totius juris Civilis *l.6.ff. de Just. & jur.* Unde etiam appellatur exceptio defensio *l.9. l.11. C. de except. l.1. C. de jur. & fact. ignor. l.12. ff. de dol. mal. & met. except. pr. Inst. de except.* quæ à jure naturali provenit *Clement. Pastoralis 2. vers. cæterum defectus &c. de sent. & re jud.* & omnes exceptiones dicuntur ex æquitate naturali esse *l.66. ff. de R.I.* Quod, si origo spectetur, verum est, Theodor. Marcilius *ad §.6. Inst. de Except.* Proxima verò causa efficiens exceptionum est jus Civile & Prætorium à quo formam & substantiam acceperunt *§.7. Inst. de Except.* Accedit, quod & actiones à jure Civili formam habeant Matth. Coler. *ad rubr. X. de Except. n.7.* Ilic. Ummius *Diss. 8. th.2. n.6.*

Th. LVII.

Objectum exceptionis sunt actiones *per l.2. in pr. & §.1. ff. de Except.* Ubi enim cessat actio nec exceptio locum habebit, quandoquidem hæc sese habent, ut habitus & privatio, quæ illum necessariò præsupponit *per vulg. Log.* Hinc definitur exceptio quod sit actionis exclusio *l.2. pr. ff. de except.* quo ipso statim innuitur nulli competere exceptionem nisi quem obstringat & vincat actio *arg. l.10. §.4. ff. de bon. poss. c.t.* Zanger. *de except. part.2. cap.3.* Subjectum verò exceptionum sunt jura cujusque propria, sive ex obligatione, facto, tempore, loco, personis aliisque circumstantiis descendentia *§.1. & 2. Inst. de Except. l. 2. §. ult. l.3. ff. eod.* non enim ex jure tertii ulli cuiquam oritur exceptio *l.8. §.1. C. de præscript. 30. annor. l.1. ff. de re jud. l.4. §.7. ff. si serv. vind.*

Th. LIX. Formæ certæ proponendi exceptiones olim erant receptæ, ut dictum supr. *in th.4.* Hodie formulis istis obsoletis, exceptiones à reo qualitercunque opponi possunt, modo opponantur certo loco, judicii scil. *c. 11. verb. except. de probat.* & debito tempore. Dilatoriæ quidem regulariter ante litis contestationem sunt opponendæ *l.13. C. de procurat. l.pen. C. de except.* cùm enim hæ exceptiones ad constitutionem judicii spectant, ineptè post litem contestatam & judicium cœptum earum ratio haberi videtur, Cujac. *18. obs.34.* Bronch. *cent.4. assert.29.* Idque non in declinatoriis judicii solùm, sed etiã declinatoriis solutionis procedere verius est, cum & hæ quoddammodo ad constitutionem judicii pertineant;

in

in eo tamen differentia est, quod illæ statim etiam probandæ sunt, *l. pen. & ult. C. de except.* hæ verò tum demum, cùm actor intentionem suam probaverit *l. 19. C. de probat.* Emeric. à Rosb. *tit. 40. n. 55.* Excipiuntur autem casus quidam, quibus & post litis contestationem rectè opponuntur; si post litem contestatam superveniant *c. 4. h. t. c. 25. de off. delegat. l. 37. §. 14. de arbitr.* vel si nullum reddant judicium *l. 24. C. de procurat.* vel si successivum gravamen habeant *c. 12. h. t.* Mynf. *obs. 73.* vel Reus eas sibi competere errore facti ignoraverit *l. fin. C. si à non comp. jud.* vel tertius eas opponens lite jam contest. accesserit Gail. *l. 1. obs. 71. n. 8.*

Th. LX. Exceptiones peremptoriæ post litem contestatam opponendæ sunt *l. 2. C. sent. rescind. non poss. l. 4. C. h. t.* Interdum & ante litem contestatam rectè opponuntur *l. 8. l. 9. C. de except.* usque ad sententiam *d. l. 2. C. sent. rescind. non poss.* Idque non tantùm in bonæ fidei, sed etiam stricti juris judiciis *arg. d. l. 2. Nobiliss. atque Excellentiss. Dn. D. Struuch. Præceptor atque Promotor meus ætatem deveneranous in suis dissert. ad Jus Justin. priv. 23. th. 15. in fin.* Probandæ sunt & hæ tum demum, cùm actor intentionem suam fundaverit *l. 19. C. de probat.* nisi forte ad excludendam litis contestationem in vim dilatoriarum propositæ sunt; hoc enim casu statim ac propositæ etiam probari debent, si in continenti id fieri possit. Nam si altiorem indaginem requirant, rejicit eas judex post litem contestatam. Harprecht *ad §. 10. Just. h. t. n. 12.* Nonnunquam etiam post sententiam exceptiones quædam opponi possunt; ut omnes eæ, quæ processum retro nullum reddunt Gloss. *in l. 1. C. de jur. & fact. ignor.* Item exceptio competentiæ, quatenus quis facere potest *l. 41. §. fin. ff. de re jud. Exceptio SCti Macedon. Vellejan. l. 12. ad SCtum Macedon.* & similes Harprecht *ad d. §. n. 14.* Verùm ita demum admittuntur, si altiorem indaginem non requirant, sed in continenti probari possint Zanger. *cap. ult. n. 35.* nec jam ante à judice certus terminus productioni omnium exceptionum præfinitus fuerit arg. *cap. 4. ext. de except.* Ummius *disp. 8. th. 9. n. 59.*

Th. LXI. Finis exceptionum est reorum defensio per *l. 11. C. de except.* quæ contingit per exclusionem actionis, sive ad tempus, sive in perpetuum *per l. 2. in pr. & §. 2. l. 3. & passim ff. de exc.*

Unde

Unde rectè Pacianus *lib. 1. de probat. c. 69. n. 20.* omnis exceptio ait, ordinata est ad finem repellendi, non etiam consequendi *cap. 2. ext. de ordin. cognit.* Zanger. *de except. part. 3. c. 26. n. 29.* Effectus exceptionum varii in jure inveniuntur, potissimus tamen in eo consistit, quod actionem vel perimat, vel differat, ut ex suprà dictis patet.

Th. LXII. Affinia exceptionibus sunt duplicatio, quadruplicatio, & nonnunquam sexduplicatio per *d. l. 2. §. pen. ubi Gothofred. lit. P. §. 3. Inst. de replic.* Dixi autem nonnunquam, cùm enim cavendum, ne lites in infinitum crescant *l. 3. §. ult. ff. de testib.* non nisi negotiorum qualitate exigente eo excurrimus *d. §. 3. Inst. de replic.* sed judex ipse prolixiores allegationes prohibet auth. *jubemus C. de jud.* Hinc etiam Ordinat. Cam. Imper. in dilatoriis ultra duplicam, in peremptoriis ultra triplicam procedere non permittit *part. 3. Ordin. Cam. tit. 26. §. ult.*

Th. LXIII. Contraria sunt Replicatio, Triplicatio, Quintuplicatio &c. De similihus idem est judicium. Sicut enim contra exceptionem replicatio permittitur *d. l. 2. §. 1. ff. de except.* ita contra replicationem duplicatio *§. 1. Inst. de replic.* & contra duplicationem triplicatio *§. 2. Inst. eod.* contra triplicationem quadruplicatio, & sic deinceps. adde Lindemannum *Exercit. 16. tit. 14. th. 2.* Hisce filum abrumpo DEOque Opt. Max. laudes dico immortales.

FINIS.

